De operis servi in solutum concessis.

20. Iidem AA. & CC. Eucrati.

SI operas [1] certi servi pro pecunia sumpta sibi in debitum compensare placuit creditori: his secundum conventionis fidem præstitis, de mancipio restituendo pacti tenor servari debet. S. 5. Kalend. Novembr. *Hadrianopoli*, CC. CONSS.

De eo, qui scripsit se recepisse plus quam recepit.

21. Iidem AA. & CC. Rufo.

INterest multum, utrumne spe [2] futuræ numerationis suscepisse te, quod instrumento continetur, scripsisti, an accepta minore quantitate tantum quantum lectio probat, in scriptura conferri placuit: Nam superiore quidem casu residui petitio debiti manet integra: posteriore vero consensu transactionis [3] finitis stare convenit. S. 3. Non. Decembr. CC. CONSS.

Si chirographum cancellatum sit, vel non.

22. Iidem AA. & CC. Grato.

INductum [4] (id est cancellatum [5]) necne sit chirographum, vestram [6] solutionem semel debiti causa factam ei qui exigendi potestatem habuit, probantium, nihil interest. S. 5. Id. Decembr. CC. CONSS.

De causa confessionis non secuta.

23. Iidem AA. & CC. Vacio.

SI literarum [7] Auxenonis contemplatione, quas ad Aristonem de numeranda tibi pecunia dederat, recepisse te scripsisti debitum ab Aristone, mandato non impleto, cum petitio debiti maneat integra, nihil legitimam exactionem impedire potest. S. 15. Kal. Januar. *Nicomediæ*, CC. CONSS.

De fundo in solutum dato.

24. Iidem AA. & CC. Rufino.

CUm [8] pro pecunia quam [mutuo] acceperas, secundum placitum Euandro te fundum [9] dedisse profitearis: ejus industriam [10], vel eventum meliorem tibi non ipsi prodesse, contrarium non postulaturus, si minoris distraxisset, non juste petis. S. 7. Kal. Januar. *Nicomediæ*, CC. CONSS.

De probatione.

25. Iidem AA. & CC. Aureliano.

SOlutionem asseveranti [11] probationis onus incumbit: quo facto, chirographum condicere [12] potest [13]. S. 3. Kal. Jan. *Nicomediæ*, CC. CONSS.

TIT. XLIV.
DE ACCEPTILATIONIBUS [14].

Pupillus cum tutoris auctoritate potest per acceptilationem liberare: nec potest conveniri, nisi ex causa legitima. Salic.

1. Imp. ANTONINUS A. Apronio.

JAm tibi scripsi, posse apud Judicem quæri an solennibus [15] verbis tutoris [16] auctoritate interveniente, soror tua acceptilatione debitorem suum liberavit: quare si in repetenda pecunia quam exolvit, diversa pars perseveraverit: uteris defensionibus competentibus. PP. 3. Id. Februar. DUOBUS & ASPRIS CONSS. 213.

Acceptilatio facta ex causa donationis, omnem viam agendi perimit. Bald.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIMIANUS AA. & CC. Claro.

SI donationis [17] gratia novatione facta per acceptilationem præstitisti liberationem, omnis agendi via perempta est. S. 6. Kal. Jan. AA. & CC.

Interveniente Aquiliana stipulatione, & acceptilatione sequente, nisi creditor sit talis ætatis, cui restitutio indulgeatur, omnis agendi via præcluditur. Bald.

3. Iidem AA. & CC. Demetriæ.

PEr Aquilianam [18] stipulationem pacto subditam obligatione præcedente sublata, & acceptilatione, quæ fuit inducta, perempta: ei, qui ex nulla causa restitui potest [19], omnis agendi via præcluditur. S. 5. Kal. Dec. CC. CONSS.

TIT. XLV.
DE EVICTIONIBUS [20].

De hereditate vendita.

1. Impp. SEVERUS, & ANTONINUS AA. Munitio.

EMptor hereditatis rem a possessoribus sumptu, ac periculo suo [21] persequi debet. Evictio quoque non præstatur in singulis [22] [rebus,] cum hereditatem jure venisse constet, nisi aliud nominatim inter contrahentes convenit. PP. 6. Kalend. Mart. SEVERO A. III. & VICTORINO CONSS. 201.

De donatione.

2. Iidem AA. Quartæ.

QUoniam avus tuus, cum [23] prædia tibi donaret, de evictione eorum cavit: potes adversus coheredes tuos ex causa stipulationis consistere ob evictionem prædiorum, pro portione scilicet hereditaria. † Nudo [24] autem pacto interveniente minime donatorem hac actione teneri certum est. PP. 2. Kal. Mart. ANTONINO A. II. & GETA II. CONSS. 206.

De re empta nondum evicta.

3. Iidem AA. Aureliano.

QUi rem emit, & post possidet, quamdiu [25] evicta non est, autorem suum propterea, quod aliena, vel obligata res dicatur, convenire non potest. PP. 8. Kal. August. FAUSTINO, & RUFINO CONSS. 211.

De datione in solutum.

4. Imp. ANTONINUS A. Georgio.

SI prædium [26] tibi pro soluto datum [est, quod] aliis creditoribus fuerat obligatum: causa [27] pignoris mutata non est. Igitur si hoc jure fuerit evictum, utilis [28] tibi actio contra debitorem competit. Nam hujusmodi contractus vicem [29] venditionis obtinet. PP. 11. Kalend. Aug. DUOBUS & ASPRIS CONSS. 213.

De re vendita, & nondum tradita.

5. Idem A. Petroniæ.

EX [his] prædiis, quæ mercata es, si aliqua a venditore obligata, & necdum [30] tibi tradita sunt: ex empto actione consequeris, ut [31] ea a creditore liberentur. Idem etiam fiet, si adversus venditorem ex vendito [32] actione pretium [33] petentem, doli exceptionem opposueris. PP. 15. Kal. Octob. DUOBUS & ASPRIS CONSS. 213.

Si specialiter venditor evictionem non promiserit.

6. Imp. ALEXANDER A. Octavio.

NOn dubitatur, & [34] si specialiter venditor evictionem non promiserit, re evicta ex empto competere actionem. PP. 8. Idib. Mart. ALEXANDRO A. CONS. 223.

De fidejussore.

7. Idem A. Hilariano.

AUctore laudato [35], si evicta res est, fidejussorem (etiam [36] si agi causam ignoraverit) conveniri evictionis nomine posse non ambigitur. PP. 3. Non. April. ALEXANDRO A. CONS. 223.

Quæ requiruntur, ut evictio præstetur.

8. Idem A. Clementino.

EMptor [37] fundi, nisi [38] auctori aut heredi [39] ejus denunciaverit: evicto [40] prædio, neque ex stipulatu, neque ex dupla, neque ex empto actionem contra venditorem vel fidejussorem ejus habet. Sed & si [1] judicio emptor non adfuit, aut [2] præsens per injuriam [3] Judicis victus est absente auctore, vel fidejussore: regressum adversus eum non habet. PP. 8. Id. Dec. ALEXANDRO A. CONS. 223.

1 Opera pro pecunia solvi potest consentienti creditori. vid. *l.* 17. *supr. h. t.* 2 Spe futuræ solutionis emissa totius debiti liberatio, non præjudicat parti non solutæ. vid. *l.* 6. *supr. h. t.* 3 Transactionis causa si creditor se totum recepisse scripserit, nihil amplius petere potest, *ut hic, & d. l.* 6. *l.* 24. *l.* 31. *supr. de transact.* 4 Vid. *l.* 1. *ff. de his quæ in test. delentur.* 5 Cancellatione instrumenti licet præsumptione debitor liberatur. *l.* 24. *ff. de probat.* non tamen semper exigitur cancellatio, vel inductio instrumenti. Potest enim quis solutione liberari, licet instrumentum neque sit inductum neque cancellatum. 6 *Vestrum*, Hal. *vestra*, Cujac. 19. *obs.* 37. ut sit, vestra nihil interest. 7 Spe futuræ numerationis plerumque debitores liberamus. *l.* 14. §. 2. ℥. *de non numerata pecunia.* Numeratione reipsa non secuta non valet liberatio. *l.* 13. *l.* 21. ℥. *h. t.* 8 Si in optione (Græci ἐν ἐπιλογῇ) fundum pro pecunia dedisti, & deinde pluris eum vendidit, lucrum hoc ipsi cedit qui & damnum sensurus fuerat, si minoris vendidisset. *Syn. Basil.* 7. *tit.* 6. *ex lib.* 26. *tit.* 5. *cap.* 125. 9 Fundus pro pecunia, & si aliud sit genere, in solutum dari potest volenti. *l.* 17. *supr. h. t.* adde *Nov.* 4. *cap.* 3. 10 Si fundus in solutum datus industria accipientis melior factus est, non propterea debet restitui etiam minori. facit *l.* 2. *l.* 8. *supr. de rescind.* 11 Probare debet solutam esse pecuniam, qui solutam fuisse asserit. *l.* 1. *supr. de probat. l.* 2. *l.* 8. *ff. de probat.* 12 De condictione chirographi dixi ad *l.* 7. ℥. *de non num. l.* 9. *supr. ad exhib. l.* 2. *supr. de condict. ex leg.* 13 Solutionem igitur recusare seu negare potest debitor creditori, si non ab eo vel tantisper dum ab eo non accipit apocham solutionis. *l.* 9. *ff. de novat.* ut per contrarium creditori apocham recusare, nisi integrum debitum a debitore recipiat. *l.* 19. *supr. de fid. instrument.* 14 Dixi ad *L.* 46. *D.* 4. quid sit acceptilatio, vid. *l.* 1. *ff. h. t.* 15 De quibus vid. §. 1. *Inst. quib. mod. tollit. & Schol.* 27. *Eclog.* 6. τυπικοῖς ῥήμασι. *Theophil.* §. *ult. quib. mod. tollit.* 16 Pupillus tutoris auctoritate, accepto ferre potest. *l.* 13. §. 10. *ff. h. t.* sine causa non potest. *l.* 27. §. 2. *ff. de minoribus.* 17 Donationis gratia accepto ferri potest, *ut hic*, interdum etiam ex causa. *l.* 9. *ff. de præscript. verb.* 18 *l.* 13. *supr. tit. prox. l.* 4. *l.* 15. *l.* 32. *l.* 40. *supr. de transf. l.* 27. *ff. de don.* cujus formula ab Aquilio condita. §. 2. *Inst. quibus mod. toll. oblig.* 19 Acceptilatio stipulationi Aquilianæ adjecta, ipso jure liberat, *ut hic, & l.* 4. 5. *ff. de transact.*

20 Dixi ad *L.* 21. *D.* 2. 21 Emptor universitatis res singulas suo periculo ac sumptu persequitur. 22 Evictio rerum singularum non præstatur emptori universitatis, hoc est, rerum universarum. Hereditatis venditor, evictione rerum singularum non tenetur, nisi aliud sit conventum: Rei singularis tenetur. *l.* 66. *ff. de contrah. empt.* 23 Donator, evictionis ex nuda promissione non tenetur: ex stipulatione tenetur. adde *l.* 18. *in fin. ff. de donat.* Paul. 5. *sent.* 11. §. 5. 24 De nudo pacto vid. *l.* 7. *ff. de pactis.* 25 Ante evictionem non agitur de evictione. *l.* 74. §. 2. *ff. h. t. l.* 1. *pr. vers. itaque. ff. de rer. perm.* nisi contractus initio rei evictio immineat. *l.* 24. ℥. *h. t.* Imo agitur. *l.* 30. *in fin. ff. de act. empt.* utique agitur, si modo venditor rem alienam sciverit. 26 Vide *l.* 17. ℥. *de solut.* 27 Debitor pignus alienum in solutum dando, pignoris causam non mutat. 28 Utilis de evictione actio datur quasi emptori, *ut hic.* directa vero emptori. 29 In solutum datio, quasi emptio. *l.* 44. *ff. de solut.* adde *Novell.* 4. 30 Ante rem traditam solutumve pretium agi potest de evictione. 31 Libera res est emptori tradenda. *l.* 41. *ff. de contrah. empt. l.* 1. *l.* 52. §. 1. *ff. de act. empt. l.* 61. *ff. de ædilit. l.* 29. §. 3. *ff. de leg.* 3. & transigenti, (potest alias ad primam actionem reverti. vide *l.* 28. *in fin. l.* 33. *supr. de transact.* Ludovicus *decis.* 101. *l.* 30. §. 1. *ff. de except. rei judic.*) ut & creditori. *l.* 46. *ff. de solut.* 32 Actio ex vendito venditori competit. *l.* 13. §. 19. *ff. de act. empt.* 33 Venditori pretium petenti opponitur exceptio de re non tradita. *l.* 25. *l.* 41. *in fin. ff. de action. empt.* 34 Evictionis venditor etiam citra conventionem, ex ipsa contractus natura tenetur. *l.* 25. *in fin.* ℥. *& l.* 2. *l.* 19. *ff. h. t. l. ult. supr. de comm. rer. alien.* adde *l.* 12. ℥. *de contrah. empt.* 19. *Ecl.* 11. *ex tit.* 15. *c.* 6. 35 Laudare prisca lingua, est denunciare, nominatim appellare. 6. *Gell.* 6. de Laudatione autoris, vide Marantam *in praxi parte* 6. *membro* 4. ut differat a nominatione auctoris dixi *l.* 2. *supr. ubi in rem actio.* 36 Evictus venditori fundus fidejussori evictus intelligitur: Reo principali facta denunciatio, nocet fidejussori etiam ignoranti. adde *l.* 18. *in fin.* ℥. *& l.* 41. §. 2. *ff. h. t.* 37 Evictio tribus casibus hic emptori a venditore non præstatur. Primus casus est, si venditor evictionem non denunciavit: secundus, si emptor ipse judicio non adfuit: tertius, si judicis injuria res ei fuerit evicta: idem dicitur, si evincentem, nimia sedulitate quærendi rei dominium provocavit, vel sibi accersivit, *l. si dictum.* 56. §. *simili modo.* 5. *ff. h. t.* si jus aliquod universum emit: puta hereditatem, & res quædam hereditaria ei fuerit evicta. *l.* 1. *supr. h. t.* Idem quoque, si sciens rem alienam comparavit: tunc enim neque evictionis, neque ad pretium de re agit. *l.* 27. ℥. *h. t.* si ancillæ venditæ partus fuerit evictus. *l. si prægnans.* 42. *ff. h. t.* Quindecim casus, quibus superior sententia locum non habeat, enumerat Montal. *lib.* 3. *scr. tit.* 10. *l.* 7. quadraginta vero duos Matthæus de Afflictis *in cap.* 1. §. *rursus. Quib. mod. feudum amittatur.* 38 Primus casus. adde *l.* 9. *l.* 20. *infr. & l.* 53. *in fin. ff. h. t.* 39 *l.* 20. *in fin.* ℥. *h. t.* 40 Evictionis causam venditori, etiam ante litem motam, denunciare emptor cogitur, *ut hic.* Bart. *in l. denunciasse.* 17. *ff. ad l. Jul. de adulteriis. l. non solum.* 3. *ff. soluto. l. nomen.* 4. *supr. quæ res pignori.* nisi venditor sciens rem alienam vendidit. *l. servus.* 30. §. *si sciens.* 1. *ff. de act. empt.* nisi minor vel creditor sit qui emit: tunc enim mora sine denunciatione committitur. *l. in minor.* 3. *supr. in quib. caus. in integ. restit.* nisi venditor sciens litem emptori motam esse, instrumenta & auctoritates rei venditæ non tradidit, cum posset tradere. *l. Titius.* 48. *ff. de act. empt.* nisi denique ipsi venditori prorsus constet litem motam esse. *Gloss. in l.* 21. *infr. h. t.* nisi juri denunciandi renunciaverit venditor. *l. Herennius.* 63. *ff. h. t.* aut si juravit, se in lite emptorem defensurum, & litem motam non ignoravit. *c. brevi. extr. de jurejurand.* Socin. *reg.* 117. Quid? quibus casibus denunciare venditori emptor cogitur, an necesse habet libellum ei offerre? teneri putant interpretes, si modo venditor petierit: aliud tamen consuetudine posse constitui: vide plura apud Duenazium *reg.* 243.

De denunciatione facienda. Quid præstandum ei, cui res evicta est.

9. Idem A. Terentio.

SI controversia tibi possessionis, quam bona fide te emisse allegas, ab aliquo movetur: auctori heredive ejus denuncia [4]: & si quidem obtinueris [5], habebis [6] quod emisti. Sin autem evictum fuerit, a venditore successoreve [7] ejus consequeris, quanti [8] tua interest: In quo continetur etiam eorum persecutio, quæ in rem emptam a te, ut melior fieret, erogata [9] sunt. PP. 2. Kal. Januar. ALEXANDRO A. CONS. 223.

De finibus.

10. Idem A. Largo.

SI fines [10] agri venditor demonstravit, & legem dixit *intra eos neminem ingressurum*: si quid inde evincatur, periculo fit auctoris. Quod si finibus suis [11], quos demonstravit, agrum vendidit: lis [12] finalis ad venditorem non pertinet. PP. 7. Kalend. Decemb. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

Si is agat qui de evictione tenetur.

11. Idem A. Clementi.

EXceptione doli recte eum [13] submovebis, quem ab auctore tuo fidejussorem accepisti: si ejus nomine controversiam refert, quasi per uxorem suam antequam tu emeres, comparaverit: qui venditioni adeo consensum [14] dedit, ut se etiam pro evictione obligaverit. PP. Non. Februar. POMPEJANO, & PELIGNO CONSS. 232.

De servo in libertatem evicto: & de pacto, ut quæstione mota ante evictionem pretium reddatur.

12. Imp. GORDIANUS A. Philippo.

SIve in libertatem evictus est servus, quem mercatus es, sive, cum compararès, convenit [15], *Ut si qua quæstio nomine ejus relata esset, & si necdum evictus esset, tu pretium recuperares*: Præses provinciæ, quod tibi præstandum animadverterit, restitui jubebit. PP. 7. Idib. Mart. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

De causa judicati.

13. Idem A. Zoilo.

SI ob causam judicati [16] pignora capta sunt ex ejus auctoritate, cui [17] præcipiendi jus fuit, eaque, de quibus complecteris, tu mercatus es: frustra ab [18] ea quæ condemnata est, vel quæ in ejus locum successit [19], eorum refertur quæstio: quandoquidem [20], & si evictio eorum ab alio subsecuta fuisset, adversus eos debuisse dari actionem, quibus pretii solutio proficit, rectissime responsum est. PP. 16. Kalend. Jun. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

De filio eodemque herede venditoris.

14. Idem A. Secundino.

SIve possessio venditoris fuit, filius [21] ejusdemque patris heres frustra quæstionem movet: sive non patris, sed filii ejus possessio fuit, de qua jure hereditario [22] auctor laudari [23] potest, controversiam movere non potest. PP. 14. Kal. Aug. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

De pignore ob evictionem accepto.

15. Imp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS C. Menandro.

SI non injuria [24] judicantis, sed juris [25] ratione superatus es, pignus [26] ob evictionem acceptum solenniter persequi [27] potes. PP. Kal. Aug.

Quid & a quo præstatur ei, cui res est evicta.

16. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Alexandro & Diogeni.

SUper empti agri quæstione disceptabit Præses provinciæ: & si portionem [28] diversæ partis esse cognoverit, impensas [29] quas ad meliorandam rem vos erogasse constiterit, habita fructuum [30] ratione, restitui vobis jubebit. Nam super pretio evictæ portionis non [31] eum, qui dominium evicerit, sed auctricem [32] conveniri consequens est. PP. 10. Kalend. Jul. ipsis IV. & III. AA. CONSS. 290.

Quid præstat autor certioratus evictionem passo.

17. Iidem AA. Mutiano.

SI cum quæstio [33] tibi super eo, quem comparaveras, moveretur, auctorem tuum certum fecisti [34], nec [35] citra Judicis disceptationem eum, quem emeras, tradidisti: Præses provinciæ in damnis [36], quæ te tolerasse meministi, medelam juris adhibebit. PP. 5. Idib. Novemb. ipsis IV. & III. AA. CONSS. 290.

De homine vendito.

18. Iidem AA. & CC. Eutychio.

SI status tibi super homine venundato mota quæstio est, solennibus [37] quæ juris admittit ratio, interpositis: si [38] secundum libertatem fuerit lata sententia, poteris de evictione [ejus, quem comparaveras,] si nesciens ejus conditionem comparasti, sine aliqua dubitatione auctorem, vel ejus fidejussores, heredesve eorum convenire. Quod si fuisse servum sententia declaraverit, intelligis ad venditorem te reverti non posse.

Si emptores præscriptione se tueri possint.

19. Iidem AA. & CC. Theodoro.

SI obligata prædia venundedisti, & longi temporis præscriptione [39] solita emptores [40] se tueri possunt: evictionis periculum timere non potes. S. 2. Kal. Maji, AA. CONSS.

Re evicta agitur de evictione etiam contra venditoris heredem. Bald.

20. Iidem AA. & CC. Solidio & aliis.

SI parentes [41] vestri mancipia venundederunt, & quæstio dominii mota est, emptoribus adesse ac defendere causam non prohibemini. Quod si eis [42] hæc etiam evicta sunt, instauratio litis ex persona vestra, si appellationem non interposuistis, contra jus desideratur. Empti sane judicio pro evictione si conveniri cœperitis, nec [43] vobis negotium, ut defendatis denunciatum probetur: intelligitis, quatenus vosmetipsos tueri debeatis. S. 6. Kalend. Jul. AA. CONSS.

De re post longum tempus evicta.

21. Iidem AA. & CC. Heliodoro.

EMpti [44] actio longi temporis præscriptione non submovetur [45], licet post multa spatia rem evictam emptori fuerit comprobatum. Si itaque is, quem te comparasse commemoras, nunc in libertatem proclamet, interpellare venditorem, sive successorem ejus debes, ut tibi assistant, causamque instruant. Quem si *liberum* [46] *esse*, vel *servum non esse*, fuerit pronunciatum: nec te conventione remisisse periculum evictionis fuerit comprobatum, Præses provinciæ, si res integra est, quanti tua [47] interest, restitui tibi providebit. S. 11. Kal. Aug. *Serdicæ*, AA. CONSS.

Stipulatio de indemnitate.

22. Iidem AA. & CC. Julio.

CUm tibi liberum venundatum fundum ab auctore proponas: si ex antecedente obligatione, quod debebatur, jure solvisti [48], stipulationem quam subjectam emptioni de indemnitate proponis, ipsius conceptio [49] commissam manifeste declarat. S. 7. Kal. Septemb. *Viminacii*, AA. CONSS.

De præsentia, vel absentia heredum auctoris, quibus denunciatum est. Quid præstatur evictionem passo.

23. Iidem AA. & CC. Eustochiæ.

CUm successores [50] etiam venditoris pro evictione teneri possint, si velut obligata sibi Respublica Thessalonicensium pignoris instituat jure persequi, quæ comparasti: auctoris heredibus quocumque gradu constitutis adsistere negotio denuncia. Quod sive præsentibus his fundum quem emisti, fuerit evictus, sive absentibus postea, quanti [51] tua interest rem evictam non esse, teneri, non quantum [52] pretii nomine dedisti, si aliud non placuit, publice notum est. S. 2. Kal. Jan. *Sirmii*, AA. CONSS.

Si in limine contractus immineat evictio.

24. Iidem AA. & CC. Eutychio.

SI post perfectam venditionem ante [53] pretium numeratum rei venundatæ mota fuerit quæstio, vel mancipia vendita proclament in libertatem, cum in [54] ipso limine contractus immineat evictio, emptorem, si [55] satis ei non offeratur, ad totius vel residui pretii solutionem non compelli, juris auctoritate monstratur. Unde cum parte pretii numerata, domus quam emisti, tibi velut pignoris jure obligatæ, ne ad emptionem accederes, denunciatum ab aliquo proponas, Judex tibi quæ ex emptione veniunt, præstari providebit. S. 6. Kal. Februar. *Sirmii*, CC. CONSS.

1 Secundus casus. *l.* 55. *ff. h. t. l.* 1. *supr. de periculo & comm.* 2 Tertius casus. *l.* 15. ℥. *& l.* 51. *ff. h. t.* 3 Vide *l.* 15. ℥. *h. t.* κατὰ πλάνην ἢ ἀγνοίαν ἢ ῥυπαρίαν, per errorem vel impudentiam, vel sordes. *Syn. Bas.* 19. *tit.* 11. *c.* 43. 4 *l.* 8. *supr. h. t.* 5 Victo emptori debetur evictio. *vers. sin autem.* ℥. *h. t.* non vincenti, *ut hic. & l.* 17. ℥. *h. t.* 6 Adde *Syn.* 9. *tit.* 11. *cap.* 51. & 3. Harm. 3. §. 89. 7 Actio de evictione datur in successorem. *l.* 13. *l.* 14. *l.* 20. *l.* 21. *l.* 23. ℥. *& l.* 70. *ff. h. t. l. ult. D. de except. rei vendit. l.* 14. *supr. de rei vind.* 8 In evictione petitur quanti nostra interest. *l.* 17. *l.* 21. *in fin. l.* 29. *in fin.* ℥. *h. t.* quo etiam continetur pretium numeratum. 9 Id est, impensas. *l.* 40. §. 1. *ff. de cond. & demonstr.* 10 Adde *l.* 45. *ff. h. t.* 11 Aliud est fundum vendere specialiter expressis finibus, *ut supr. h. t.* aliud suis finibus vendere. Priori casu si quid evincitur, venditor obligatur: altero, non obligatur. facit *lex* 74. *in fin. ff. h. t.* expressi fines debentur conventionis lege: sui fines agrorum anteriore seu antiquiore lege. Pleniorem pete hypothesin hujus legis ex Harmenop. 3. *tit.* 3. §. 66. 12 Finium vindicatio, a vindicatione dominii separatur. *l. quinque pedum.* 5. ℥. *fin. regund.* 13 Quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio. *l.* 13. 14. ℥. *& l.* 17. *ff. h. t.* excipe *l. ult.* ℥. *h. t.* 14 Consentit venditioni, qui fidejubet, *ut l.* 7. *in fin. supr. quod cum eo.* 15 Valet conventio, ut lite duntaxat mota pretium restituatur emptori, alias citra pactum non agitur ante evictionem. dixi ad *l.* 3. *supr. h. t.* 16 *l.* 74. §. 1. *D. h. t. l.* 46. *ff. de adquir. rer.* 17 Alias pignoris venditio facta jussu judicis incompetentis, nulla. 18 Emens a judice judicatum exequente, debitorem habet obligatum: ideoque debitor agens non auditur. 19 Vide *l.* 9. *supr. h. t.* 20 Ratio dubitandi sumpta ex communi regula: Quem de evictione tenet actio &c. dixi ad *l.* 11. *supr. h. t.* 21 Filius non evincit rem a patre venditam. 22 Vid. *l.* 9. *supr. h. t.* 23 Dixi ad *d. l.* 11. 24 Vide *l.* 8. *in fin.* ℥. *h. t.* adde *l.* 50. *l.* 51. *ff. h. t.* 19. *Eclog.* 11. *cap.* 43. 25 Id est, re legitime evicta. 26 Pignus amittit creditor, injuria judicis condemnatus. adde *l.* 3. §. 1. *ff. de pignorib.* 27 *l.* 2. *supr. de partu pignor. l.* 2. *supr. de prædiis min.* Pignus, subsidium rei. 28 Etiam evicta parte, venditor tenetur de evictione. *l.* 10. ℥. *h. t.* 29 *l.* 9. *in fin. supr. h. t. l.* 45. §. 1. *ff. de act. empt.* 30 Perceptorum scilicet. 31 Evincens, pretium restituere non tenetur. 32 Id est, venditricem, eadem ratione dicitur qua ab Ammiano 25. Ambestrix: ab Africano adsestrix, possestrix, impulsatrix, curatrix, palustrix, & in legibus nostris, *l.* 74. *in fin. ff. ad SC. Trebell.* Petitrix, & Venditrix, *l.* 8. *ff. de l. commiss.* Testatrix, *l.* 20. *ff. si servitus vindicetur.* 33 Debetur evictio emptori, non ultro, sed ex sententia rem restituenti. vide *l.* 56. §. 1. *ff. h. t.* 34 Id est, nominasti. *l.* 8. *l.* 9. ℥. *h. t.* 35 Id est, non ultro. 36 Dixi ad *l.* 9. *supr. h. t.* 37 Jus antiquum forte adserendi intelligit, de quo *supr. de adsertione tollenda.* 38 Emptor servi, si servus liber pronunciatus, agit de evictione, *ut hic.* si servus, non agit. *vers. quod si.* ℥. *h. t.* Cur ita? emptori victo, non vincenti, venditor evictionem præstat. *l.* 9. *supr. l.* 21. *in fin.* ℥. *h. t.* 39 Vide *l.* 21. ℥. *h. t.* 40 Emptoris præscriptio creditori eidemque venditori prodest. adde *l.* 54. *ff. h. t. l.* 2. *in fin. supr. de reb. alien.* 19. *Eclog.* 11. *ex tit.* 15. *cap.* 19. 41 Agitur de evictione in heredem venditoris, dixi ad *l.* 9. ℥. *h. t.* 42 Semel quod evictum est defuncto, ab herede non potest retractari. vel ita: Venditor, cum evictio fit, adesse potest: ubi ea facta est, litem instaurare nequit, nisi appellavit. *Ecl. d. l. c.* 20. *in princ.* 43 Denuncianda est etiam venditoris successoribus evictio. *l.* 8. *supr. h. t.* cujuscunque gradus sint. *l.* 13. ℥. *h. t.* 44 Duæ emptori actiones præcipue de evictione, una empti, *ut hic, & l.* 25. *supr. h. t.* altera ex stipulatione duplæ. 45 *Ecl. d. loco c.* 20. *in fin.* Imo submovetur. *l.* 19. ℥. *h. t.* non submovetur in his quæ præscribi non possunt, *ut hic, & l. ult. supr. de longi temporis præscript. quæ pro libert.* 46 *l.* 18. ℥. *h. t.* 47 Dixi ad *l.* 9. *supr. h. t.* 48 Stipulatus de indemnitate, hypothecaria conventus, creditori ultro debitum offerre potest non exspectata evictionis sententia: quo secuto, ex empto agitur ad indemnitatem promissam. 49 Vid. *l.* 21. *in fin. supr. de liberali caus.* 50 Dixi ad *l.* 9. *vers. sin autem. supr. h. t.* 51 *d. vers. sin autem.* 52 Id est, non id tantum quod. 53 *l.* 18. *in fin. ff. de periculo & commodo.* 54 In limine venditionis evictione imminente, pretii, vel residui nomine, emptor citra fidejussionem conveniri non potest. 55 *l. ult.* §. 1. *ff. de rescind. l. pen. in fin. ff. de peric. & comm.*

Si

Si is, qui liberam vendidit, eam evincat in libertatem.

25. Iidem AA. & CC. Saturninæ.

SI tibi liberam Saturninus, conditionem ejus ignorans distraxit, ac nunc eam defendit in libertatem, hac libera pronunciata, venditorem vel ex stipulatione duplæ, quantum [1] in hanc deductum est, vel empti [2] actione, quanti [3] tua interest, convenire potes. S. Idib. Febr. AA. CONSS.

De rei interitu.

26. Iidem AA. & CC. Neoni.

SI quis tibi servum vendidit, postquam is rebus humanis exemptus [4] est, cum evictionis periculum finitum sit, a te conveniri non potest. S. 2. Kal. April. *Sirmii*, CC. CONSS.

De scientia, vel ignorantia emptoris.

27. Iidem AA. & CC. Theophilo.

SI fundum sciens [5] alienum, vel obligatum comparavit Athenocles, neque quicquam de evictione convenit [6]: quod eo nomine dedit, contra [7] juris poscit rationem. Nam si ignorans, desiderio tuo juris forma negantis hoc reddi refragatur. S. 15. Kalend. Octobr. CC. CONSS.

Quibus defensionibus emptor uti potest.

28. Iidem AA. & CC. Maximiano, & aliis.

EMptori etiam venditoris [8] jura prodesse non ambigitur. Si igitur vobis propter rei proprietatem mota fuerit quæstio: tam propriis quam venditoris defensionibus uti poteritis. S. 3. Non. Octobr. * *Scuppis*, CC. CONSS.

De permutatione.

29. Iidem AA. & CC. Rheso.

SI permutationis [9] gratia prædia curatoribus quondam fratris tui mater tua dedit: his, quæ in eorum vicem accepit, posteaquam ad defensionem fuerit denunc tum [10], vel cum eorum non haberet facultatem, evictis, quanti [11] interest, eos conveniri posse, rationis est. S. Idib. Decembr. *Nicomediæ*, CC. CONSS.

De stipulatione duplæ, & probatione malæ fidei emptoris.

30. Iidem AA. & CC. Hastio.

NOn [12] ex eo quod duplum [is] qui a matre [tua] mancipium comparavit, evictionis nomine stipulatus est, alienæ rei scientia convincitur: nec opinio ejus ex hoc lædit ur, ut malæ fidei emptor existimetur. Aliis itaque hoc indiciis, si vis, probare debes. S. Id. Decembr. AA. CONSS.

De herede fidejussoris.

31. Iidem AA. & CC. Agathoni.

HEredem [13] fidejussoris rerum, pro quibus defunctus apud emptorem intercesserat pro venditore, factum ejus, cui succesit, ex sua persona dominium vindicare non impedit: scilicet evictionis causa durante actione. S. 18. Kal. Jan. CC. CONSS.

TIT. XLVI.

CREDITOREM EVICTIONEM [PIGNORIS [14]] NON DEBERE.

Creditor vendens jure creditoris rem, quam putabat esse debitoris, non tenetur de evictione, nisi expresse promiserit.

1. Imp. ALEXANDER A. Publicio.

CUm jure [15] creditoris propter fisci debita prædium obligatum Procurator meus venundedit, evictio non debetur: quia & privatus creditor eodem jure utitur: nisi nominatim hoc repromissum a privato fuerit creditore. Si tamen fiscus in jus alterius creditoris succesit, emptori non justa nomine fisci movetur controversia: sive quia potior fuerat, quando vendebat, sive quia infirmior: quoniam hoc [16] utique præstare debet, qui pignoris jure vendit, potiorem se cæteris esse creditoribus. PP. 15. Kalend. Novemb. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

Creditor vendens jure pignoris, tenetur de evictione duobus cassibus, scilicet quando expresse se obligavit de evictione, item quando mala fide contraxit. Bald.

2. Imp. GORDIANUS A. Sabinæ.

SI a creditrice jure pignoris fundos obligatos pater tuus comparaverat: evictis prædiis ita demum petitionem adversus creditricem habere jure potes, si [17] vel cum vendidit, de evictione rei promisit: vel etiam dolo malo, cum sciens, prudensque esset rem sine [18] vitio non esse, eam patri tuo, cui succesisti, venundedit. Nam sicuti genus hujusmodi contractus inscium creditorem vinculo evictionis non adstringit: ita eum, qui fraudem admisit, vel decepit, non excusat. PP. 7. Id. April. SABINO II. & VENUSTO CONSS. 241.

TIT. XLVII.

DE PATRIA [19] POTESTATE [20].

De longi temporis præscriptione.

1. Impp. ANTONINUS & VERUS AA. Titio.

SI filium tuum in potestate tua esse dicis, Præses provinciæ æstimabit, an audire te debeat: cum diu passus [21] sis, ut patrisfamilias res ejus agi per eos, qui testamento matris tutores nominati fuerunt. PP. sine die & consule.

De verum dominio.

2. Imp. ANTONINUS A. Maroniæ.

EJus, quod in potestate patris agens habuisti, dominium [22] ad patrem tuum pertinuit, extra ea, quæ non acquiruntur. PP. 15. Kal. Mart. LÆTO II. & CEREALE CONSS. 216.

De jure alienandi, de castigatione.

3. Imp. ALEXAND. A. Artemidoro.

SI filius tuus in potestate tua est, res acquisitas tibi alienare [23] non potuit. Quem, si pietatem [24] patri debitam non agnoscit, castigare [25] jure patriæ potestatis non prohiberis: acriore remedio usurus, si in pari contumacia perseveraverit; eumque Præsidi [26] provinciæ obtaturus [27], dicturo sententiam, quam [28] tu quoque dici volueris. PP. 6. Id. Decemb. ALBINO & MAXIMO CONSS. 228.

De controversiis & injuriis. De reverentia matri præstanda.

4. Impp. VALER. & GALLIEN. AA. Calæ.

COngruentius quidem videtur, intra [29] domum inter te ac filios tuos, si quæ controversiæ oriuntur, terminari. Sed si ita res fuerit: ut [pro] injuriis eorum & ad jus experiendum, & ad vindictam processerit, aditus Præses [30] provinciæ super disceptationibus quidem pecuniariis consuetum exerceri jubebit ordinem juris: reverentiam [31] autem debitam exhibere matri filios coget. Et si provectam ad inclementiores injurias improbitatem deprehenderit, læsam [32] pietatem severius [33] vindicabit. PP. 15. Kal. Jun. ÆMILIANO & BASSO CONSS. 260.

De reverentia & alimentis.

5. Impp. DIOCLETIAN. & MAXIM. AA. Donato.

FIlia tua non solum reverentiam [34], sed etiam subsidium [35] vitæ ut exhibeat tibi, Rectoris provinciæ auctoritate compelletur. PP. Kalend. Mart. DIOCLET. III. & MAXIMIANO, AA. CONSS. 287.

De abdicatione.

6. Iidem AA. Hermogeni.

ABdicatio [36], quæ Græco more [37] ad alienandos liberos [38] usurpabatur, & ἀποκήρυξις [39] dicebatur, Romanis legibus non comprobatur [40]. PP. 17. Kal. Decemb. MAXIM. A. II. & JANUARIO, CONSS. 288.

De nepote ex filio milite.

7. Iidem AA. & CC. Duplianæ.

SI maritus tuus, licet [41] militans, in patria potestate constitutus filium [ex] legitimis fuscepit nuptiis, eum in potestate avi perseverasse non ambigitur. S. 2. Non. April. CC. CONSS.

De filiis libertinorum.

8. Iidem AA. & CC. Æmilianæ.

LIbertos [42] exemplo ingenuorum filios suos post libertatem ex legitimis nuptiis natos, in potestate habere non est prohibitum. S. 16. Kal. Maji, *Sirmii*, CC. CONSS.

Si filius esse negetur.

9. Iidem AA. & CC. Niconagoræ.

NEc filium *Negare* [43] cuiquam esse liberum, Senatusconsulta [44] de liberorum cafitigatio.

1 Vid. *l.* 74. *ff. b. t.* 2 Vid. *l.* 6. *l.* 21. *supr. h. t.* 3 Vide *l.* 9. *supr. h. t.*
4 Re ante litem perempta cessat evictio. *l.* 21. *ff. h. t.* 5 Malæ fidei emptor de evictione actionem non habet. Non datur ei de evictione actio, quia sciens prudens fundum alienum comparavit, nisi evictio specialiter fit promissa. *ad hæc. l.* 7. *in fin. supr. commun. utr. judic. l.* ult. 8. 4. *supr. comm. de leg.* 6 *d. leg.* 7. *l.* 4. 8. 5. *ff. de dolo malo & met.*
7 Imo non contra. *l.* 1. *supr. si vend. pign.* 8 Jus venditoris emptori prodest. *ut hic. & l.* 76. 8. 1. *ff. de contr. empt. l.* 156. 8. 2. 3. *ff. de reg. jur.* & e contra, præscriptio emptoris venditori prodest. *l.* 19. *supr. h. t.* 9 Permutanti debetur evictio. *l.* 1. *in fin. supr. de rerum permut. act.* facit *l.* 4. *in fin. supr. h. t.* 10 Adde *l.* 8. *supr. h. t.*
11 *l.* 9. *supr. h. t.* 12 Stipulatio duplæ propter evictionem, non arguit emptorem malæ fidei, *ut hic.* Præsumitur bona fides in possidente, vide Alciat. *præsumpt.* 5.
13 Exceptio est ad *l.* 11. 3. *h. t.* eo sensu, In fidejussoris herede cessat regula, Quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio. *l.* 17. *ff. h. t.* si nomine proprio spsit.
14 Hæc vox superest in editione Haloandri. 15 *l.* 11. 6. 16. *ff. de act. empt. l.* 10. *ff. de distract. pign. l.* 50. *ff. de evict tamb.* 16 Creditor jure pignoris vendens, potiorem se cæteris creditoribus esse præstat, at non evictionem. adde *l.* 11. 8. 15. *ff. de act. empt.* 17 Creditor rem jure pignoris vendens, de evictione teneri potest ex pacto: aut si mala fide contraxit, tacendo rem esse alterius, Græci ita hunc locum reddunt. Qui pignus, aut creditoris emit, non recte de evictione agit: nisi de hoc convenerit, aut dolo facta fit venditio: tunc enim agitur. *Syn. Bas.* 25. *tit.* 7. *c.* 62. 18 Id est, obligatam. *l.* 11. 8. 16. *ff. de act. empt.* Vitium rei ipsius rei obligatio.
19 Adde *Novell.* 81. *l.* 11. *ff. de liberis & posthum.* 20 *L.* 1. *Inst.* 9. & 31. *Eclog.*
1. *cap. περὶ ὑπεξουσίων.* 1. *cap.* 2. 8. *ult.* 21 Liberatio potestatis præcribitur. Diutina patientia pro veritate est. 22 Filius in potestate patri adquirit dominium rerum omnium exceptis castrensibus, *ut hic.* bonis adventitiorum nudum usumfructum. *l.* 6. *l.* 8. *supr. de bonis, quæ liber.* 8. 1. *in fin. Inst. per quas personas cuique adquiritur.* 23 Filius res patris alienare non potest. 24 Pietas patri debetur. 25 Patri permissa est

partu agnoscendo, ac denunciata [1] pœna, item præjudicium [2] Edicto perpetuo propositum, & remedium [3] alimentorum apud Præsidem majori trimo [4] petenti [5], nomine ejus monstratum, jure manifesto declarant. S. 5. Kal. Maji, *Sirmii*, CC. CONSS.

De libertate, de jure vitæ & necis.

10. Imp. CONST. A. ad Maximum P. U.

LIbertati [6] a majoribus tantum impensum est, ut patribus, quibus jus [7] vitæ in liberos, necisque potestas [olim] erat permissa, libertatem eripere [8] non liceret. Dat. 15. Kalend. Jun. *Thessalonicæ*, SEVERO & RUFINO CONSS. 321.

TIT. XLVIII.

DE ADOPTIONIBUS [9].

Apud quem *adoptari potest.*

1. Imp. GORDIANUS A. Martiæ.

HI, qui in aliena potestate sunt, juxta jus civile non nisi apud eum apud quem plena legis [10] actio est, adoptari possunt. PP. Kalend. Jun. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

De impuberis arrogatione. Apud quem arrogatur.

2. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. Timotheo.

IMpuberem [11], quem ad vicem [12] naturalis fobolis arrogare [13] desideras, si hi, qui sanguinis [14] necessitudine [tibi] junguntur; id ei expedire apud Præsidem provinciæ confirmaverint, filium habebis: ita ut bonorum tuorum quarta [15] pars tam in posterno judicio tuo, quam si a te emancipatus fuerit, ei præbeatur, & super patrimonio ejus idoneis fidejussoribus [16] datis fervo publico [17] caveatur: ne sub copulandæ adoptionis obtentu, in facultates ejus, quæ ei diligenti provisione servandæ sunt, irruas. Arrogatio etenim ex indulgentia principali facta, perinde valet apud Prætorem vel Præsidem intimata, ac si per populum [18] jure antiquo facta esset. PP. 5. Id. Mart. MAXIMO II. & AQUILINO CONSS. 286.

De arrogatione liberti.

3. Iidem AA. Martiano.

CUm eum, quem arrogaveris, libertum [19] tuum esse profitearis, nec ullam idoneam causam precibus addideris, id est, *Quod* [20] *liberos non habeas*: intelligis juris auctoritatem desiderio tuo refragari. PP. 16. Kal. Jul. MAXIMO II. & AQUILINO CONSS. 286.

Quomodo *fit adoptio.*

4. Iidem AA. & CC. Proculiano.

ADoptio non [21] tabulis [22], licet per tabellionem [23] conficiendis, sed solenni [24] juris ordine apud Præsidem solet copulari. PP. Kal. Sept. ipsis IV. & III. AA. CONSS. 290.

De fœminis.

5. Iidem AA. & CC. Syræ.

MUlierem [25] quidem, quæ [26] nec suos filios habet in potestate, arrogare non posse certum est. Verum [27] quoniam in [28] solatium amissorum tuorum filiorum, privignum [29] tuum cupis vicem [30] legitimæ fobolis obtinere: annuimus votis tuis, fecundum ea quæ annotavimus: & eum perinde atque ex te progenitum, ac vicem naturalis legitimique filii habere permittimus. PP. 3. Non. Decemb. *Triballii*, TYBERIANO & DIONE CONSS. 291.

Quomodo *fit arrogatio.*

6. Iidem AA. & CC. Meliano.

ARrogationes eorum qui sui [31] juris sunt, nec in Regia Urbe, nec [32] in provinciis, nisi [ex [33]] rescripto principali fieri possunt. PP. 6. Non. April. *Byzantii*, CC. CONSS.

Si quis adoptetur a cive alterius civitatis.

7. Iidem AA. & CC. Attico.

IN adoptionem quidem alienæ civitatis [34] civi recte dato additur [35], non mutatur patria [36]: ac propterea jus originis in honorum ac munerum obsequio per adoptionem non minui perspicis. S. 11. Kalend. Febr. *Sirmii*, CC. CONSS.

Si patronus adoptet filiam libertæ.

8. Iidem AA. & CC. Ifioni.

IN adoptionem patre, in cujus est potestate, filiam dante, matris [37] patronus adoptare non prohibetur. Nam sui juris arrogatio fœminæ nisi ex nostro rescripto nunquam procedit. S. 5. Id. Februar. CC. CONSS.

De emancipatione.

9. Iidem AA. & CC. Marino.

ADoptatum [38], licet ex beneficio nostro, emancipatione [39] solenni separare a familia sua pater adoptivus minime prohibetur.

Qui possint adoptare, 5. vel arrogare,

10. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

CUm in adoptivis filiis, qui filiifamilias constituti, a patribus naturalibus aliis in adoptionem dantur, antiquæ sapientiæ incidit quædam dubitatio; si oporteret talem filium, qui præteritus a naturali patre fuerat, habere contra ejus testamentum de inofficioso actionem (quam Papinianus [40] quidem negat, Paulus autem line effectu derelinquit, Martianus vero distinguit, ne ex hac causa utriusque patris perderet successionem, naturalis quidem, voluntate ejus circumventus, adoptivi propter egestatem quam forte habebat) & iterum aliud vitium erat exortum: si enim post patris naturalis obitum pater adoptivus per emancipationis modum jus adoptionis dissolvisset, nulla spes ei remanebat: neque [enim] contra patris naturalis voluntatem, quia mortis ejus tempore in aliena fuerat familia constitutus: neque contra adoptivum patrem: (quia per emancipationem ejus familia exemptus est) ideo talem dubitationem [resecantes,] & tale vitium corrigentes, sancimus [41] per adoptionem quidem ad extraneam personam factam, jura naturalis patris minime dissolvi, sed ita eum permanere, quasi non fuisset in alienam familiam translatus. Cum enim tanta fragilitas [42] est adoptionis, ut possit in ipso die, & filius fieri, & extraneus per emancipationem inveniri: quis patiatur jura patris naturalis nexu divino [43] copulata, ludibrio defraudari? Cum in hoc casu & contradicendi filio [44] ex jure veteri detur licentia, & invitus [45] transire ad aliam non cogitur familiam. Omnia igitur (secundum quod jam disposuimus, cum ad extraneum patrem filius per adoptionem transfertur) maneant integra jura, sive ad [46] inofficiosi querelam, sive ad alias omnes successiones, sive ab intestato, sive ex testamento, quæ liberis deferuntur; ut ipse possit & prodesse [47] patri naturali, & ab eo naturalia debita percipere. Si vero pater naturalis avo materno [48] filii sui, vel si ipse fuerit emancipatus, [etiam] avo paterno, vel proavo simili modo paterno, vel materno filium suum dederit in adoptionem: in hoc casu, quia in unam personam concurrunt & naturalia, & adoptionis jura, maneat ifabile jus patris adoptivi, & naturali vinculo copulatum, & legitimo adoptionis nodo constrictum: & ad eum solum reliciatur filius, cui eum & natura aggregavit, & lex per adoptionem allignavit: & Papiniani sententia in hac specie procedat, & ad eum tantummodo filius adoptivus spem totam extendat, & non [49] patris naturalis successionem molestare concedatur: sed avita & proavita tantummodo reverentia protegatur: eique acquirat quæ possunt acquiri & prodesse. Et is ei solus pater intelligatur, quem lex fecit, & natura non dereliquit. Neque enim Martiani distinctioni locum esse in hoc casu invenimus, ubi nullius circumventionis [50] suspicio potest aliquam sibi vindicare licentiam, avita & proavita affectione hæc omnia resecante: sed hæc omnia manere integra, nisi avus & proavus emancipatum fecerint filium adoptivum: tunc etenim necesse est iterum ad patrem naturalem eum reverti: cum emancipationis interventu adoptio in quacunque persona facta solvitur. §. 1. Sed ne articulum adoptionis in extraneam personam factæ sine lege relinquamus: licentiam damus tali adoptivo patri, id est, extraneo, si voluerit, nihil ei testamento suo relinquere, sed quidquid ei reliquerit hoc liberalitatis sit, [&] non legitimo vinculo adstrictum. Cum enim per omnia naturæ filiæ filium aggregaverimus: manifestissimum est, quod & acquisitiones omnium rerum, quæ ad filiumfamilias pervenerint, fecundum leges nostras, non adoptivo extraneo patri, fed naturali [51] usque ad modum ususfructus perveniant, & permaneant in sacris [52] patris naturalis, quasi imaginaria [53] quadam & nova affectione ei acquisita, non priftino cognationis diminutione introducta. Sed si quidem remaneat in tali adoptione: nulla interveniente emancipatione, in hoc tantummodo prodesse ei volumus adoptionem, ut non successione ab intestato patris extranei adoptivi defraudetur, sed habeat accessionem fortunæ [ex patris naturalis sibi voluntate acquisitam]. Neque enim ex veteri jure cognationis nexus naturalis patris per adoptionem filio dissolvebatur, sed accedebant jura adoptiva, certis reliquiis ex jure naturali remanentibus: & qui legitimus erat familiæ adoptivæ, is naturali fuerat cognatus. Quis enim materna [54] jura posset abolere, cum videbatur, & ex antiquo jure patrem quidem habere adoptivum, matrem autem eam, quam

1 *Denunciati*, Cujac. 19. *obs. ult.* autoritate. *l.* 1. 8. *pœna.* 4. *ff. de liber. agnosc.* Pœna sollicet mariti denunciati intelligitur, id est, cui facta est denunciatio: ut venditor denunciatus. *l.* 49. *ff. de judiciis.* 2 De agnoscendis liberis. 8. 13. *Inst. de act.* 3 De qua est tota *l.* 4. *ff. de liber. agnosc.* 4 Id est, super lacte depulso, exuberi, delalato, syringiato: quia non folebant ante trienium infantes nomina capcipi. vid. 2. *Macab.* 7. *ὅτε ἔθρεψεν με τὸν θηλασμὸν σὺν τρία.* & in lege Papia, apud Ulpian. 19. 8. 1. duo trimi, id est, super mamma depulsi. vide Cujac. *d. loco.* 5 *Petenti*, Cujac. *ibid.* ex quibusdam codicibus. 6 Favet libertatis. 7 *l.* 11. *in fin. ff. de lib. & posth.* 8 *l.* 6. *supr. h. t. l.* 12. *supr. de obsig.* vid. *l.* 1. *supr. de patrib. qui filios distr. l. ult. ff. qui res pign.* Paul. 5. *sent.* 1. 8. 1.
9 Dixi ad *L.* 1. *ff.* 7. 37. *Est.* 1. *περὶ εἰσθέτων καὶ εἰσθετημένων L.* 1. *Inst.* 11. adde *Novell.* 74. *c.* 3. Gojus 1. *Inst.* 5. Ulpianus 8. & 2. Harmen. 8. 10 Adopto est legis actio. 1. 4. *ff. h. t.* vide *l.* 1. *ff. de off. juridic. l.* 2. *ff. de off. proconf.* Confabar solennitate. 1. 4. *J. h. t. l.* 6. *supr. de suis & leg.* inde a Theoph. *νόμιμος πρᾶξις*: non tamen refertur inter actus legitimos. *l.* 77. *ff. de reg. jur.* utpote solemnibus adoptionis jam sublatis. 11 8. 3. *Inst. h. t.* 12 Hinc adoptio naturæ limititudo dicitur a Cujo 1. *Inst.* 5. 6. 1. 13 Quemadmodum fiat adrogatio. 14 Facit *l.* 17. 8. 1. *ff. h. t.* 15 Vide 8. 3. *Inst.* & *l.* 22. *ff. h. t.* 16 *l.* 17. *in fin. l.* 18. *ff. h. t.* 17 *Persona publica. d.* 8. 3. tabellioni, *l.* 4. *J. h. t.* 18 De adrogatione per populum vide Ulp. 8. 8. 2. & 3. Gojum 2. *Inst.* 3. 8. 4. & 5. Gell. 19. Goth. Adde Briffon. *lib.* 4. *select.* c. 20. S. 1. 19 Libertus arrogandi non potest. *l.* 8. *infr. h. t.* 5. Gell. 19. 20 Jullum arrogandi casum habent qui liberos non habent. *l.* 15. 8. 2. *l.* 17. 8. 3. *ff. h. t.* 21 In adoptione non sufficit tabulas & instrumenta intervenire, nisi judicis auctoritas intervenerit. 22 An testamento fieri possit. Velleius Patercolus *lib.* 2. vide Cujac. 7. *observ.* 7. 23 Dixi ad *L.* 2. 3. *h. t.* 24 Adoptio solennitatem exigit: non fit nisi solenniter: & quidem apud prætidem. adde 5. Gell. 19. vid. *l.* 1. *supr. h. t.* adde Revard. *c.* 6. *de auctoritate prætorum.* 25 Mulieres non adoptant. 8. 10. *Inst. h. t.* Ulpian. 8. 8. 9. 1. Gaj. 1. 8. 3. & 5. Gell. 19. *l.* 29. 8. 3. *ff. de inoff. teftam. l.* 8. *supr. de præscript. longi temp.* 4. Harm. 8. & 33. *Eel.* 1. *cap.* 46. 26 Ratio cur fœminæ non adoptent neglecta Leonis *Nov.* 27. 27 Exceptio. 28 Ex *Nov. Leon.* 27. licet mulieribus adoptare, etiamsi filia nemo folvitur patria potestate. *l.* 3. *J. de castrensi peculio*: 8. 4. *Inst. quib. mod. ius patr. potest. ult.* 42 Liberti filios in potestate habere possunt. *l.* 7. *supr. de suis & legit. l.* 2. 8. *de serv. rustic.* 43 Id eft, *abdicatio. l.* 6. 8. 6. 1. ut plerique interpretantur, sed male. 44 Plancianum scilicet & aliud quod factum est Adriani temporibus. *l.* 2. 8. 1. *ff. de agnosc. & alend. liber.*